ACAD. LUGD.BAT. BIBL.

Nobilissimo Viro D. Constantino Hugenio
Eq: Zulichemi Domino C. Barlaeus S.P.D.

Duo petis, Hugeni Nobilissime,

Unum est, ut laesum Tesselae ocellum sinistrum ulciscar heroicis Viris. Alterum est, ut sententiam dicam de controversiis inter Theologum Ultrajectinum et Nobilem Gallum. Hoc posterius faciam, sed nondum. Nec enim jam animus est de Formis substantialibus vel essentia=libus contendere, postquam Regina mater et Filia publici gaudij materiam omnibus praebent. Expectabo, tua pace, usque dum successum videro finemque coeptae disputationis. Jam Zephyri illam et Favonij afflant, mox, nisi male calculum posui, Asper ab axe ruet Boreas. quantos fluctus, quantas tempestates et Presteras praevideo. Co=roebus est ~~imprimis [illegible]~~, qui formas substantiales negat, et Coroebus est, qui eas adstruit. quid futurum censes, ubi incaluerit disputatio? Ego huius philosophici Motus Quietem videre gestio. • In miras se Figuras vertent antagonistae. nec eodem semper Situ erit amborum patientia. Quantis interea qualibusque argutijs sint depugnaturi novi mirmillones, extra pugnam spectabo quietus. Suave mari in magno etc. Obtigit Nobili Cartesio adversarius non ignobilis, licet acer et inde=fessus. qui si in thesin suam flectere non poterit inferos, hoc est rationem humanam, tota ipsum Theologia obruet et Atheismi tandem aut ἐναθεαντίας ~~isti~~ crimen impinget. non ut vincat, sed ut odijs maleferiatorum obijciat candide et nullius boni noxa disputantem. Prius illud, quod Tesselam spectat, iam feci, non heroicis, sed Iambicis diris. Praeivisti egregie, et risum mihi et Satrapae conjugique et filiabus movisti, isto Divisionis Sophismate. Ingenio=sius est, quam ut latere Tesselam debeat, et liberius quam ut viduus viduae transmittere audeam. Audebo tamen, sed addito malagmate. Epigrammata tua & illa inserti scil. autoris avide legere. Non ero, mi

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 151
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2961

Hugeni, prolixior, dum Regina mater Filiaque et carnivori
Britanni vos occupant. Di immortales, exclamet
Ergasilus aliquis Hagiensis,

Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido!
Quanta laniis lassitudo!

Vale vir summe, et stricturas ingenii tui subinde
nobis imperti. Amstel. x Mart. CIƆIƆCXLII

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 151
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2961

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 151
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2961

Nobilissimo, Domino,
Constantino Hugenio
Eq: Zulichemi Domino &c.

Ꝑ amicū

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 151
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2961